

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**T. Lvcretii Cari, Libri Sex Nuper Emendati**

**Lucretius Carus, Titus**

**Venetiis, XII.1500**

**Landesbibliothek Oldenburg**

Shelf Mark: CIM II 238 C

T. L. C. De Rervm Natvra. Liber Tertivs.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-861890](#)

Iam' que caput quassans grandis suspirat arator  
crebrius incassum magnum cecidisse laborem,  
& cum tempora temporibus præsentia confert  
præteritis laudat fortunas sæpe parentis.

Tristis item uetulæ uitis sator æqua fatigat,  
temporis incusat nomen, seclum' que fatigat,  
& crepat antiquum genus ut pietate repletum,  
per facile angustis toleraret finibus æuum,  
cum minor esset agri multimodus ante uiritim,  
et tenet omnia paulatim tabescere, & ire  
ad scopulum, spatio ætatis defessa uetusto.

.T.L.C.DE RERVM NATVRA,

LIBER TERTIVS.



T Enebris tantis tam clarum ex  
tollere lumen  
qui primus potuisti inlustrans  
cōmoda uitæ,  
e sequoro graiae gentis decus,  
in' que tuis nunc  
ficta pedum pono pressis uesti-  
gia signis,

non ita certandi cupidus, quam propter amorem  
quod te imitari aueo. Quid enim contendat hirundo  
cygnis? aut quid nam tremulis facere artubus hedi  
consimile in cursu possint, ac fortis equi uis?

Tu pater es rerum inuentor, tu patria nobis  
subpeditas præcepta, tuis' que ex inclute chartis,  
floriferis ut apes in saltibus omnia libant.

Omnia nos itidem depascimur aurea dicta,  
aurea perpetua semper dignissima uita.

Nam simulac ratio tua cœpit uociferari  
naturam rerum diuina mente coortam,  
diffugiunt animi terrores, mœnia mundi  
discedunt, totum video per inane geri res.  
Apparet diuum numen, sedes' que quietæ,

quas neque concutiunt uenti, nec nubila nimbis  
aspergunt, neque nix acri concreta pruina  
cana cadens, uiolat semper sine nubibus æther  
integer, & large diffuso lumine ridet.  
Omnia subpeditat porro natura, neque ulla  
res animi pacem delibat tempore in ullo.  
At contra nusquam apparent Acherusia templa  
nec tellus obstat quin omnia despiciantur  
sub pedibus, quæcumque infra per inane geruntur.  
His ubi me rebus quædam diuina uoluptas  
percipit, atque horror quod sic natura tua ui  
tam manifesta patens ex omni parte reiecta es.  
Et quoniam docui cunctarum exordia rerum  
qualia sint, & quam uariis distantia formis,  
sponre sua uolent alterno percita motu,  
quo' ue modo possint res ex his quæque creari,  
hasce secundum res animi natura uidetur,  
atque animæ claranda meis iam uersibus esse,  
& metus ille foras præceps Acheruntis agendum  
funditus, humanam qui uitam turbat ab imo.  
Omnia suffundens mortis nigrore, nec ullam  
esse uoluptatem liquidam, puram que reliquit.  
Nā, quod sæpe homines morbos magis esse timēdos,  
infamem que ferunt uitam, quam tartara leti,  
& se scire animi naturam sanguinis esse,  
nec prorsum quicquam nostræ rationis egere,  
hinc licet aduertas animum, magis omnia laudis  
aut etiam uetiti si fext ita forte uoluptas  
iactari causa, quanq; quod res ipsa probetur.  
Ex torres iidem patria, longe que fugati  
conspectu ex hominum foedati crimine turpi  
omnibus æruminis affecti denique uiuunt.  
Et quo' cumque tamen miseri uen̄ere, parentant  
& nigras mactant pecudes, & manibus diuis  
inferias mittunt, multo' que in rebus acerbis  
acrius aduertunt animos ad religionem.  
Quo magis in dubiis homines spectare periclis  
conuenit,



conuenit, aduersis' que in re bus noscere qui sunt.  
Nam uere uoces tum demuni pectore ab imo  
elicitur, & eripitur persona, manet res.  
Denique quarities, & honorum cæca cupido,  
quæ miseros homines cogunt transcendere fines  
iuris, & interdum socios scelerum, atque ministros  
nocteis atque dies niti, præstante labore  
ad summas emergere opes, hæc uolnera uitæ  
non minimam partem mortis formidine aluntur.  
Turpis enim famæ contemptus, & acris egestas  
semota ab dulci uita, stabili' que uidetur,  
& quasi iam leti portas cunctarier ante.  
Vnde homines dum se falso terrore coacti  
effugisse uolunt longe, longe' que remissoe,  
sanguine ciuili rem conflant, diuitias' que  
conduplicant audi, cædem cæde accumulantes.  
Crudeles gaudent in tristi funere fratres,  
& consanguineum mensas odere, timent' quæ  
consimili ratione ab eodem sæpe timore.  
Macerat inuidia ante oculos illum esse potentem,  
illum aspectari, claro qui incedit honore,  
ipsi se in tenebris uolui, cæno' que queruntur.  
Intereunt partim status, & nominis ergo,  
& sæpe usque adeo mortis formidine uitæ  
percipit humanos odium, lucis' que uidendæ,  
ut sibi conscient mœrenti pectore letum,  
obliti fontem curarum hunc esse timorem,  
hunc uexare pudorem, hunc uincula amicitiai  
rumpere, & in summa pietatem euertere suader.  
Nam iam sæpe homines patriam, caros' que parentes  
prodiderunt, uitare acherusia templa petentes.  
Nam ueluti pueri trepidant, atque omnia cæcis  
in tenebris metuunt, sic nos in luce timemus  
interdum, nihilo quæ sunt metuenda magis, quam  
quæ pueri in tenebris pauitant singunt que futura.  
Hunc igitur terrorem animi, tenebras' que necessest  
non radii Solis, neque lucida tela diei



discutiant, sed naturæ species, ratio' que.  
Primum animum dico, mentem quem sæpe uocamus,  
in quo consilium uitæ, regimen' que locatum est  
esse hominis partem nihilominus, ac manus, & pes,  
atque oculi partes animantis totius extant.  
Quamuis multa quidem sapientum turba putaret,  
sensem animi certa non esse in parte locatum,  
uerum habitum quendam uitalem corporis esse  
ægrum i' agra quam dicunt, quod faciat nos  
uiuere cum sensu, nulla cum in parte siet mens.  
Ut bona sæpe uia letudo cum dicitur esse  
corporis, & non est tamen hæc pars ulla ualentis,  
sic animi sensum non certa parte reponunt,  
magnopere in quo mi diuersi errare uidentur,  
Sæpe itaque in promptu corpus, quod cernitur ægrum  
cum tamen ex alia lætamur parte latenti,  
& retro fit, ubi contra sit sæpe uicissim,  
cum miser ex animo lætatur corpore toto  
non alio pacto, quam si pes cum dolet ægri  
in nullo caput interea sit forte dolore,  
præterea molli cum somno dedita membra  
effusum' que iacet sine sensu corpus onustum.  
Est aliud tamen in nobis, quod tempore in illo  
multimodis agitatur, & omnes accipit in se  
lætitiae motus, & curas cordis inaneis.  
Nunc animam quoq; ut in membris cognoscere possis  
esse, neque harmoniam corpus retinere solere,  
principio fit uti detracto corpore multo,  
sæpe tamen nobis in membris uita moretur,  
atque eadem rursum cum corpora pauca caloris  
diffugere, foras' que per os est editus aer,  
deserit extemplo uenas, atque ossa relinquunt,  
noscere ut hinc possis non aquas omnia parteis  
corpora habere, neque ex æquo fulcire salutem,  
sed magis hæc uenti que sunt, calidi que uaporis  
semina, curare, in membris ut uita moretur.  
Est igitur calor, ac uentus uitalis in ipso  
corpore

corpore, qui nobis moribundos deserit artus,  
quapropter, quoniamst animi natura reperta  
atque animæ, quasi pars hominis reddit armonia  
nomen ab organico saltu delatum Heliconis,  
sive aliunde ipsi porro traxere, & in illam  
transtulerint, proprio quæ tum res nomine egebat,  
quicquid id est habeant, tu cætera percipe dicta.  
Nunc animum, atque animam dico coniuncta teneri  
inter se, atque unam naturam confidere ex se,  
sed caput esse quasi, & dominari in corpore toto  
consilium, quod nos animum, némtem que uocamus,  
id' que situm mediâ regione in pectoris hæret.  
Hic exultat enim pauor, ac metus, hæc loca circum  
letitiæ mulcent, hic ergo mens, animus' quest.  
Cætera pars animæ per totum diffusa corpus  
paret, & ad numen mentis, nomen' que mouetur,  
id' que sibi solum per se sapit, & sibi gaudet,  
cum neq; res animam, neque corpus commouet una',  
& quasi cum caput, aut oculus tentante dolore  
læditur in nobis, non omni concruciamur  
corpore, sic animus non inquam læditur ipse,  
lætitia' que uiget cum cætera pars animai,  
per membra, atque artus nulla nouitate cietur.  
Verum ubi uementi magis est commota metu mens  
consentire animam totam per membra uidemus  
sudores' que ita pallorem' que existere toto  
corpore, & infringi linguam, uocem' que aboriri.  
Caligare oculos, sonere aureis, succidere artus,  
denique concidere ex animi terrore uidemus  
sæpe homines, facile ut quiuis hinc noscere possit  
esse animam cū animo cōiunctam, quæ cū animi ui  
percussa est, exin corpus propellit, & icit.  
Hæc eadem ratio naturam animi, atque animai  
corpoream docet esse. Vbi enim propellere membra,  
corripere ex somno corpus, mutare' que uoltum,  
atque hominem totum regere, ac uersare uidetur,  
quorum nil fieri sine tactu posse uidemus,



nec tactum porro sine corpore, non' ne fatendum est  
corporea natura animum constare, animam' que? quip  
Præterea pariter fungi cum corpore, & una  
confentire animum nobis in corpore cernis.  
Si minus offendit uitam uis horrida leti  
ossibus, ac neruis disclusis, intus adacta,  
attamen insequitur languor, terræ' que petitus  
suavis, & in terra mentis qui gignitur æstus,  
interdum' que quasi exurgendi incerta uoluntas.  
Ergo corpoream naturam animi esse necessest,  
corporeis quoniam telis, ictu' que laborat.  
Is tibi nunc animus quali sit corpore, & unde  
constiterit, pergam rationem reddere dictis.  
Principio esse aio persubtilem, atque minutis  
per quam corporibus factum constare, id ita esse  
hinc licet aduertas animum, ut pernoscere possis.  
Nil' adeo fieri celeri ratione uidetur,  
quam si mens fieri proponit, & inchoat ipsa.  
Ocyus ergo animus, quam res se perciet ulla,  
ante oculos quorum in promptu natura uidetur.  
At quod mobile tantopere est, constare rotundis  
per quam seminibus debet, per quam' que minutis,  
momine uti paruo possint impulsa moueri.  
Namque mouetur aqua, & tantillo momine flutat,  
quippe uolubilibus, partuis' que creata figuris.  
At contra mellis constantior est natura,  
& pigri latices magis, & cunctantior ictus.  
Haeret enim inter se magis omnis materiai  
copia, nimirum quia non tam leuibus extat  
corporibus, neque tam subtilibus atque rotundis.  
Namque papaueris aura potest suspensa, leuis' que  
cogere, ut ab summo tibi diffluat altus acerqus.  
At contra lapidum coniectum spicarum' que  
nulla potest. igitur paruissima corpora quæque,  
ut leuissima sunt, ita mobilitate fruuntur.  
At contra quæcunque magis cum pondere magno  
aspera' que inueniuntur, eo stabilita magis sunt.

Nunc

Nunc igitur, quoniam st animi natura reperta  
mobilis, egregie per quam constare necessest  
corporibus paruis, & leuibus, atque rotundis.  
Quæ tibi cognita res in multis & bone rebus  
utilis inuenietur, & opportuna cluebit.  
Hæc quoque res etiam naturam dedicat eius,  
quam tenui constet textura, quam que loco se  
contineat paucio, si possit conglomerari.  
Quod simulatque hominem leti secura quies est  
indepta, atque animi natura, animæ' que recessit,  
nil ibi libatum de toto corpore cernas  
ad speciem, nihil ad pondus. Mors omnia præstat  
uitalem præter sensum, calidum' que uaporem.  
Ergo animam totam perparuis esse necessest  
seminibus nexam per uenas, uiscera, nervos.  
Quatenus omnis ubi e toto iam corpore cessit,  
extima membrorum circum cæsura tamen se  
incolumem præstat, nec 'defit ponderis hilum.  
Quod genus est Bacchi cum flos evanuit, aut cum  
spiritus unguenti suaveis diffugit in auras,  
aut aliquo cum iam succus de corpore cessit,  
nil oculis tamen esse minor res ipsa uidetur.  
Præterea, neque detractum de pondere quicquam  
nimirum, quia multa, minuta' que semina succos  
efficiunt, & odorem in toto corpore rerum .  
Quare etiam atque etiam mentis naturam, animæ' quæ  
scire licet per quam pauxillis, esse creatam  
seminibus, quoniam fugiens nil ponderis aufert.  
Nec tamen hæc simplex nobis natura putanda.  
Tenuis enim quædam moribundos deserit aura  
mista uapore, V apor porro trahit aera secum.  
Nec calor est quisquam, cui non sit mistus & aer .  
Rara quod eius enim constat natura, necessest  
aeris in coetum primordia multa moueri.  
Iam triplex animi est igitur natura reperta.  
Nec tamen hæc sat sunt ad sensum cuncta creandum,  
nil horum quoniam recipit mens posse creare

e iii



sensiferos motus quædam quæ mente uolutat.  
Quarta quoque his igitur quædam natura necessit  
adtribuatur, east omnino nominis expers,  
qua neque mobilis quicquam, neque tenuius extat,  
nec magis e paruis, & levibus ex elementis,  
sensiferos motus quæ didit prima per artus.  
Prima cietur enim paruis perfecta figuris,  
inde calor motus, & uenti cæca potestas  
accipit, inde aer, inde omnia mobilitantur.  
concutitur sanguis per uenas, uiscera uiuunt  
omnia, postremis datur ossibus, atque medullis  
siue uoluptas est, siue contrarius ardor,  
nec temere huc dolor usque potest penetrare, neq; acre  
permanare malum, quin omnia perturbentur.  
Usque adeo uitæ defit locus, atque animai  
diffugiunt partes per caulas corporis omneis.  
Sed plerunque sit in summo quasi corpore finis  
motibus, hanc obrem uitam retinere ualemus.  
Nunc ea quo pacto inter se se mista, quibus que  
compta modis uigeant, rationem reddere auentem  
abstrahit inuitum patrii sermonis egestas.  
sed tamen, ut potero, summatis attingere tangam.  
Inter enim cursant primordia principiorum  
motibus inter se, nihil ut secernier unum  
possit, nec spatio fieri diuersa potestas,  
sed quasi multa eius unius corporis extant.  
Quod genus in quo uis animantium uiscere uolgo  
est odor, & quidam calor, & sapor, & tamen ex his  
omnibus est unum perfectum corporis augmen,  
Sic calor, atque aer, & uenti cæca potestas  
mista creant unam naturam, & mobilis illa  
uis initum motus ab se quæ diuidit illos,  
sensifer unde oritur primum per uiscera motus.  
Nam penitus prosum latet hæc natura, subest que,  
nec magis hac infra cuicquam sit in corpore nostro,  
atque animast animæ proporro totius ipsa.  
Quod genus in nostris membris, & corpore toto  
mista

mista latens animi uis est, animæ que potestas  
corporibus quia de paruis, paucis que creata est,  
Sic tibi nominis hæc expers uis facta minutis  
corporibus later, atque animæ quasi totius ipsa.  
proporro st anima, & dominatur corpore toto  
Consimili ratione necessest uentus, & aer  
& calor inter se uigeant commista per artus,  
atque aliis aliud subsit magis, emineat que  
ut quiddam fieri uideatur ab omnibus unum,  
ne calor, ac uentus seorsum, seorsum que potestas  
aeris intermixt sensum, diducta que soluant.  
Est etiam calor ille animo, quem sumit in ira  
cum feruescit, & ex oculis micat acrius ardor.  
Est & frigida multa comes formidinis aura,  
qua ciet horrorem membris, & concitat artus.  
Est etiam quoque pacati status aeris ille,  
pectore tranquillo qui fit, uultu que sereno.  
Sed calidi plus est illis, quibus acria corda,  
iracunda que mens facile effervescit in ira.  
Quo genere in primis uis est uiolenta leonum,  
pectoris qui fremitu rumpunt plerunque gementes,  
nec capere irarum fluctus in pectore possunt.  
Aut uento sa magis ceruorum frigida mens est,  
& gelidas citius per uiscera concitat auras,  
quæ tremulum faciunt membris existere motum.  
At natura boum placido magis aere uiuit,  
nec nimis irai fax unquam subdita percit  
sumida suffundens cæcæ caliginis umbras,  
nec gelidi torpet telis perfixa pauoris  
inter utrosque sitast ceruos, sanguinos que leones.  
Sic hominum genus est, quamvis doctrina politos  
constituat pariter quosdam, tamen illa relinquit  
natura cuiusque animi uestigia prima,  
nec radicitus euelli mala posse putandum est,  
quin proclivius hic iras decurrat ad acreis,  
ille metu citius paulo tentetur, at ille  
tertius accipiat quædam clementius æquo.

e iiiii



In' que aliis rebus multis differre necessest  
naturas hominum uarias, moresque sequaces.  
**Q**uorum ego nunc nequeo cæcas exponere causas,  
nec reperire figurarum tot nomina, quot sunt  
principiis, unde hæc oritur uariantia rerum.  
Illud in his rebus uideo firmare potesse,  
usque adeo naturarum uestigia linqui  
paruula, quæ nequeat ratio depellere dictis,  
ut nihil impedit dignam diis degere uitam.  
Hæc igitur natura tenetur corpore ab omni,  
ipsa que corporis est custos, & causa salutis.  
Nam communibus inter se radicibus hærent,  
nec sine pernicie diuelli posse uidetur.  
**Q**uod genus ethuris glebis euellere odorem  
haud facile est, quin intereat natura quoque eius,  
sic animi, atque animæ naturam corpore toto  
extrahere haud facilest, quin omnia dissoluantur,  
implexis ita principiis ab origine prima  
inter se consortia fiunt prædicta uitæ,  
nec sibi quæque sine alterius uia posse uidetur  
corporis, atque animi seorsum constare potestas.  
Sed communibus inter eos conflatur utrinque  
motibus accensus nobis per uiscera sensus.  
Præterea corpus per se nec gignitur unquam,  
nec crescit, neque post mortem durare uidetur.  
Non enim ut humor aquæ dimittit sape uaporem,  
qui datus est, neque ea causa conuellitur ipse,  
sed manet incolomis, non inquam sic animai,  
dissidium poterunt artus perferre relicti,  
sed penitus pereunt conuolsi, con' que putrescant.  
**E**x ineunte æuo sic corporis, atque animai  
mutua uitalis discunt contagia motus,  
maternis etiam membris, alioque reposta  
dissidium nequeat fieri sine peste, malo que  
ut uideas, quoniam coniuncta est causa salutis,  
coniunctam quoque naturam consistere eorum.  
**Q**uod superest, si quis corpus sentire refutat,  
atque



atque animam credit permistam corpore toto  
suscipere hunc motum, quem sensum nominicamus,  
uel manifestas res contra ueras que repugnat.  
Quid sit enim corpus sentire quis afferet unquam?  
si non ipsa palam quod res dedit, ac docuit nos?  
At dimissa anima corpus caret undique sensu.  
Perdit enim quod non proprium fuit eius in æuo,  
multa' que præterea perdit cum expellitur æuo.  
Dicere porro oculos nullam rem cernere posse,  
sed per eos animum ut foribus spectare reclusis,  
difficile est, contra cum sensus ducat eorum.  
Sensus enim trahit, atque acies detrudit ad ipsas  
fulgida præsertim cum cernere saepe nequimus  
lumina luminibus, quia nobis præpediuntur,  
quod foribus non fit. Neque enim qua cernimus ipsis,  
ostia suscipiunt ullum reclusa laborem.  
Præterea si pro foribus sunt lumina nostra,  
iam magis exemptis oculis debere uidetur  
cernere res animus sublatis postibus ipsis.  
Illud in his rebus ne quaquam sumere possis,  
Democriti quod sancta uiri sententia ponit,  
corporis atque animi primordia singula primis  
apposita alternis uariare, ac nectere membra.  
Nam cum multo sint animai elementa minora,  
quam quibus & corpus nobis & uiscera constant,  
tum numero quoque concedunt, & rara per artus  
dissita sunt, diu taxat ut hoc permettere possis  
quantula prima queant nobis injecta ciere  
corpora sensiferos motus in corpore, tanta  
interualla tenere exordia prima animai.  
Nam neque pulueris interdum sentimus adhæsum  
corpore, nec membris incussam sidere cretam,  
nec nebulam noctu, neque aranei tenuia fila  
obuia sentimus, quando obretimur euntes,  
nec supera caput eiusdem cecidisse uietam  
uestem, nec plumas auium, pappos' que uolanteis,  
qui nimia leuitate cadunt plerunque grauatum.



Nec repentis itum cuiusvis cuncte animantib  
sentimus, nec prima pedum uestigia quæque  
corpo quæ in nostro culices, & cætera ponunt.  
Vsqne adeo prius est in nobis multa ciendum,  
quam primordia sentient concussa animai,  
semina corporibus nostris immixta per artus.  
Et quam interuallis tantis tuditantia possint  
concussare, coire, & dissultare uicissim.  
Er magis est animus uitai claustra coercens,  
& dominantior ad uitam, quam uis animai.  
Nam sine mente, animo que nequit residere per artus  
temporis exigui partem pars ulla animai,  
sed comes insequitur, facile & discedit in auras,  
& gelidos artus in leti frigore linquit.  
At manet in uita cui mens, animus que remansit,  
quamuis est circuncæsis lacer undique membris  
truncus adempta anima circum, membris que remotis  
uiuit, & æthereas uitaleis suscipit auras,  
sinon omnimodis, at magna parte animai,  
priuatus tamen inuita cunctatur, & hæret.  
Vt lacerato oculo circum si pupula mansit  
incolomis, stat cernendi uiuata potestas,  
dummodo ne totum corrumpas luminis orbem,  
& circuncidas aciem, solam que relinquas,  
id quoque enim sine pernicie non fiet eorum.  
At si tantula pars oculi media illa perefasit,  
occidit exemplo lumen, tenebrae que sequuntur,  
incolomis quamuis alioqui splendidus orbis,  
hoc anima, atque animus iuncti sunt foedere semper.  
Nunc age, natuos animantibus, & mortaleis  
esse animos, animas que leueis ut noscere possis,  
conquisita diu, dulci que reperta labore  
digna tua pergam disponere carmina uita.  
Tu face, utunque uno subiungas nomen eorum,  
atque animam, uerbi causa, cum dicere pergam  
mortalem esse docens, animum quoque dicere credas,  
quatinus est unum inter se, coniuncta que res est.

Principio



Principio quoniam tenuem constare minutis  
corporibus docui, multo que minoribus esse  
principiis factam, quam liquidus humor aquai,  
aut nebula, aut fumus. Nam longe mobilitate  
præstat, & a tenui causa magis ista mouetur.  
quippe ubi imaginibus sumi, nebulæ que mouetur.  
Quod genus in somnis sopiti ubi cernimus alta  
exhalare uapore altaria, ferre que fumum.  
Nam procul hæc dubio nobis simulacra geruntur.  
Nunc igitur quoniam quassatis undique uasis  
diffluere humor, & laticem discedere cernis,  
& nebula, ac fumus quoniam discedit in auras,  
crede animam quoque diffundi, multo que perire  
oculus, ac citius dissolui corpora prima,  
cum semel omnibus e membris ablata recessit.  
Quippe etenim corpus, quod uas quasi constitutus eius,  
cum cohibere nequit conquassatum ex aliqua re,  
ac rarefactum, detracto sanguine uenis,  
aere qui credas posse hanc cohiberier ullo:  
corpore qui nostro rarus magis incohibescit?  
Præterea gigni pariter cum corpore, & una  
crescere sentimus, pariter que senescere mentem.  
Nam uelut infirmo pueri, tenero que uagantur  
corpo, sic animi sequitur sententia tempus.  
Inde ubi robustis adoleuit uiribus ætas,  
consilium quoque maius, & auctior est animi uis.  
Post ubi iam ualidis quassatumst uiribus æui  
corpus, & obtusis ceciderunt uiribus artus,  
claudicat ingenium, delirat lingua que, mens que,  
omnia deficiunt, atque uno tempore desunt.  
Ergo dissolui sic conuenit omnem animai  
naturam, ceu fumus in altas aeris auras.  
Quandoquidem gigni pariter, pariter que uidemus  
crescere, & (ut docui) simul æuo fessa fatisci.  
Huc accedit, uti uideamus corpus id ipsum  
fuscipere immanies morbos, durum que laborem,



sic animum curas acreis, luctum' que , metum' que,  
quare participem leti quoque conuenit esse.  
Quin etiam morbis in corporis auius errat  
sæpe animus , dementia enim , delira' que fatur.  
interdum' que graui lethargo fertur in altum,  
æternum' que soporem oculis, uultu' que cadenti,  
unde neque exaudit uoces , nec noscere uultus  
illorum potis est, ad uitam qui reuocantes  
'circunstant lacrymis rorantes ora , genas' que.  
Quare animum quoque dissolui fateare necessest,  
quandoquidem penetrant in eum contagia morbi.  
Nam dolor, ac morbus, leti fabricator uterque est,  
multorum exitio perdocti quod sumus ante,  
& quoniam mentem sanari, corpus ut ægrum,  
& pariter flecti medicina posse uidemus.  
Denique cor hominum cum uiri uis penetrauit  
acris, & in uenas discessit diditus ardor,  
consequitur grauitas membrorum, præpediuntur  
crura uacillanti, tardescit lingua, madet mens,  
nant oculi, clamor, singultus, iurgia gliscunt.  
Et iam cætera de genere hoc quæcunque sequantur,  
cur ea sunt? nisi quod uehemens uiolentia uiri  
conturbare animam consuevit corpore in ipso?  
At quæcunque queunt conturbari, inque pediri,  
significant, paulo si durior insinuarit  
causa, fore, ut pereant æuo priuata futuro.  
Quin etiam subito ui morbi sæpe coactus  
ante oculos aliquis nostros, ut fulminis ictu  
concidit, & spumas agit, ingemit, & tremit artus,  
disipit, extentat neruos, torquetur, anhelat  
inconstanter, & in iastando membra fatigat.  
Nimirum quia uis morbi distracta per artus  
turbat agens animam spumanti ut in æquore salso  
uentorum ualidis feruescunt uiribus undæ.  
exprimitur porro gemitus, quia membra dolore  
afficiuntur, & omnino quod semina uocis  
eliiciuntur, & ore foras glomerata feruntur

Qna



Quia quasi consuerunt, & sunt munita uia  
desipientia fit, cum uis animi, atque anima  
conturbatur, & (ut docui) diuisa seorsum  
disiectatur eodem illo distracta ueneno.  
Inde ubi iam morbi reflexit causa, redit' que  
in latebras ater corrupti corporis humor,  
tum quasi uacillans primum consurgit, & omnes  
paulatim redit in sensus, animam' que receptat.  
Hæc igitur tantis ubi morbis corpore in ipso  
iacentur, miseris' que modis distracta laborent,  
cur eadem credis sine corpore in aere aperto  
cum ualidis uentis aetatem degere posse?  
Et quoniam mentem sanari, corpus ut ægrum  
cernimus, & flecti medicina posse uidemus,  
id quoque præsagit mortalem uiuere mentem.  
Addere enim parteis, aut ordine traiicere æquum est  
aut aliquid pro rsum de summa detrahere hilum.  
Commutare animum quicunque adoritur, is ipsum,  
aut aliam quamvis naturam flectere querit.  
At neque transferri sibi parteis, nec tribui uult,  
immortale quod est quicquam, neque disfluere hilum.  
Nam quocunque suis mutatum finibus exit,  
continuo hoc mors est illius, quod fuit ante.  
Ergo animus siue ægrescit, mortalia signa,  
mittit (ut edocui) seu flectitur a medicina,  
usque adeo falsæ rationi uera uidetur  
res occurrere, & effugium præcludere eunti,  
ancipi' que refutatur conuincere falsum.  
Denique saepe hominem paulatim cernimus ire  
& membratim uitalem deperdere sensum,  
in pedibus primum digitos liuescere, & unguies,  
inde pedes & crura mori, post inde per artus  
ire alios tractim gelidi uestigia leti  
scinditur, atque animo hæc quoniam natura, nec uno  
tempore sincera existit, mortalis habendaſt.  
Quod si forte putas ipsam se posse per artus



introsum trahere, & parteis conducere in unum,  
atque adeo cunctis sensum deducere membris.  
at locus ille tamen, quo copia tanta animai  
cogitur in sensu debet maiore uideri.  
Qui, quoniam nusquam est, nimur (ut diximus ante)  
dilaniata foras dispergitur, interit ergo.  
Quin etiam si iam libeat concedere falsum,  
& dare posse animam glomerari in corpore eorum,  
lumina qui linquunt moribundi particulatim,  
mortalem tamen esse animam fateare necessest.  
nec refert utrum pereat dispersa per auras,  
an contracta suis e partibus obrutescat.  
Quoniam hominem totum magis, ac magis undique sensus  
deficit, & uitae minus & minus undique restat,  
& quoniam mens est hominis pars una, loco que  
fixa manet certo, uelut aures, atque oculi sunt,  
atque alii sensus, qui uitam cuique gubernant,  
& ueluti manus, atque oculus, nares ue seorsum  
secreta ab nobis nequeunt sentire, neque esse,  
sed tamen in paruo linquuntur tempore tali.  
sic animus per se non quit sine corpore, & ipso  
esse hominem illius quasi quod uas esse uidetur,  
sive aliud quid uis potius coniunctius ei  
fingere. quandoquidem connexu corpus adhæret.  
Denique corporis, atque animi uiuata potestas,  
inter se coniuncta ualent, uita que fruuntur,  
nec sine corpore enim uitalis edere motus  
sola potest animi per se natura, nec autem  
caſsum anima corpus durare, & sensibus uti,  
scilicet a uolatis radicibus, ut nequit ullam  
dispicere ipse oculus rem seorsum corpore toto,  
sic anima, atque animus per se nil posse uidetur.  
Nimirum quia per uenas & uiscera mistim  
per ueruos, atque ossa tenentur corpore ab omni,  
Nec maguis interuallis primordia possunt  
libera dissultare, ideo conclusa mouebunt  
sensiferos motus, quos extra corpus in auras.

Aeris



Aeris haud possunt post mortem eiecta mouere,  
propterea quia non simili ratione tenentur.  
Corpus enim , atque animam serat aer, sic cohibere  
se anima , atque in eos poterit concludere motus,  
quos ante inuenis , & in ipso corpore agebat.  
Quare etiam atque etiam resoluto corporis omni  
tegmine , & eiectis extra uitalibus auris,  
dissoluī sensus animi fateare necessest,  
atque animam, quoniam coniuncta causa duobus.  
Denique cum corpus nequeat perferre animai  
diffidium, quin in tetro tabescat odore,  
quid dubitas, quin ex imo, penitus que coorta  
emanarit uti sumus diffusa animae uis.  
atque ideo tanta mutatum pute ruina  
concederit corpus penitus, quia mota loco sunt  
fundamenta foras animae, manant que per artus,  
per que uiarum omneis flexus, in corpore qui sunt.  
Atque foramina multimodis ut noscere possis  
dispertitam animae naturam exisse per artus,  
& prius esse sibi distractam corpore in ipso,  
quam prolapsa foras enaret in aeris auras.  
Quin etiam si neis dum uitae uertitur intra  
sepe aliqua tamen e causa labefacta uidetur,  
& quasi supremo languescere tempore uoltus,  
mollia que exangui cadere omnia corpore membra.  
Quod genus aut animo malefactum cum perhiberet,  
aut animam liquisse ubi iam trepidatur, & omnes  
extremum cupiunt uires repræhendere uinculum ,  
conquassatur enim tum mens, animae que potestas  
omnis, & haec ipso cum corpore conlabescunt,  
ut grauior paulo possit dissoluere causa .  
Quid dubitas tandem quin extra perdita corpus  
imbecilla foras in aperto tegmine dempto  
non modo non omne possit durare per ævum,  
sed minimum quod uis nequeat consistere tempus?  
nec sibi enim quisquam moriens sentire uidetur  
ire foras animam incolumem de corpori etoto



ne prius ad iugulum, & superas accedere fauces,  
uerum deficere in certa regione locatum,  
ut sensus alios in parti quenque sua scit  
dissolui, quod si immortalis nostra foret mens  
non tam se moriens dissolui conquereretur,  
sed magis ire foras, uestemque relinquere, ut anguis  
gauderet praelonga senex aut cornua ceruus.  
Denique cur animi nunquam mens, consiliumque  
gignitur in capite aut pedibus, manibus ue, sed imis  
sedibus, & certis regionibus omnibus hæret,  
si non certa loca ad nascendum redditia cuique  
sunt, & ubi quicquam possit durare creatum,  
atque ita multimodis de totis artibus esse  
membrorum, ut nunquam existat præposterus ordo,  
usque adeo sequitur res rem, neque flamma creari  
fluminibus solitast, neque in igni gigner algor.  
Prætereat si immortalis natura animaist,  
& sentire potest secreta a corpore nostro,  
quando (ut opinor) eam faciendumst sensibus aucta,  
nec ratione alia nosmet proponere nobis  
possimus, infernas animas Acherunte uacare.  
Pictores itaque, & scriptorum secla priora  
sic animas introduxerunt sensibus auctas.  
At neque seorsum oculi, ne que nares, nec manus ipse  
esse potest anima, neque seorsum lingua, neque aures  
auditum per se possunt sentire, neque esse.  
Et quoniam toto sentimus corpore inesse  
animalem sensum, & totum esse animale uidemus,  
si subito medium celeri præsciderit ictu  
uis aliqua, ut seorsum partem secernat utrunque  
disperita procul dubio quoque uis animai,  
& discissa simul cum corpore difficietur.  
At quod scinditur, & partem discedit in ullam  
scilicet æternam sibi naturam abnuit esse.  
Falciferos memorant currus absindere membra  
sæpe ita de subito permista cæde cadenteis,  
ut tremere in terra uideatur ab artibus id, quod  
decidit

decidit abscissum quando mens, atque hominis uis  
mobilitate mali non quit sentire dolorem,  
& similis pugnæ studio cui dedita mens est  
corpore cum reliquo pugnam, cædes que petescat,  
nec tenet amissam leuam cum tegmine sæpe  
inter equos abstraxe rotas, falces que rapaces,  
nec cecidisse alius, dextram cum scandit, & instat.  
Inde aliis conatur adempto surgere crure,  
cum digitos agitat prope iam moribundus humi pes,  
& caput abscissum, calido uiuente que truncu,  
seruat humi uoltum uitalem, oculos que patenteis,  
donec reliquias animai reddidit omneis.

Quin etiam tibi si lingua uibrante, minanti,  
serpentis caudam procero corpore, utrumque  
sit libitum in multas parteis discindere ferro,  
omnia iam seorsum cernes incisa recenti  
uolnere tortari, & terram conspergere tabo,  
ipsam se que retro partem petere ore priorem  
uolneris ardenti ut morsu premat ista dolore.  
Omnibus esse igitur totas dicemus in illis  
particulis animas, at ea ratione sequetur  
unam animantem animas habuisse in corpore multas.

Ergo diuisast ea, quæ fuit una simul cum  
corpore, quapropter mortale utrumque putandum est,  
in multas quoniam parteis discinditur æque.

Præterea si immortalis natuta animai  
constat, & in corpus nascentibus insinuatæ,  
cur super ante actam ætatem meminisse nequimus  
interiisse, & quæ nunc est, nunc esse creatam?  
nec uestigia gestarum rerum ulla tenemus?

Nam si tantopere animi est uitiata potestas  
omnium, ut actarum exciderit retinentia rerum,  
non (ut opinor) id ab leto iam longius errat.

Quapropter fateare necesse est quæ fuit ante  
interiisse, & quæ nunc est, nunc esse creatam.

Præterea si iam perfecto corpore nobis  
inserri solita est animi uiuata potestas

tum cum gignimur, & uitæ cum lumen inimus,  
haud ita conueniebat uti cum corpore, & una  
cum membris uideatur in ipso sanguine cresse,  
sed uelut in cauea per se sibi uiuere solam  
conuenit, ut sensu corpus tamen affluat omne.  
**Q**uare etiam atque etiam neque originis esse putadūst  
experteis animas, nec leti lege solutas.  
Nam neque tantopere adnecti potuisse putandumst  
corporibus nostris extrinsecus insinuatas,  
quod fieri totum contra manifesta docet res.  
Namque ita connexæ per uenas, uiscera, neroos,  
ossa' que, uti dentes quoque sensu participantur,  
morbis ut indicat, & gelidai stringor aquai,  
& lapis oppressus subitis e frugibus asper,  
nectam contextæ cum sint, exire uidentur  
incolomies posse, & solas exoluere se se  
omnibus e neriis, atque ossibus, articulis' que.  
**Q**uod si forte putas extrinsecus insinuatam  
permanare animam nobis per membra solere,  
tanto quæque magis cum corpore fusa peribit,  
quod permanat enim, dissoluitur, interit ergo.  
Dispergitur enim per caulas corporis omnis,  
ut cibus in membra, atque artus cum diditur omnis  
disperit, atque aliam naturam sufficit ex se,  
sic anima, atque animus quamvis integra recens in  
corpus eunt, tamen in manando dissoluuntur,  
dum quasi per caulas omnis diduntur in artus  
particulæ, quibus hæc animi natura creatur,  
quæ nunc in nostro dominatur corpore nata  
ex illa, quæ tunc peritat partita per artus.  
**Q**uapropter neque natali priuata uidetur  
esse die natura animæ, nec funeris expers.  
Semina præterea linquuntur nec ne animai  
corpore in exanimo, quod si linquuntur, & insunt,  
haud erit, ut merito immortalis possit haberi  
partibus amissis, quoniam libata recèssit,  
sin ita sinceris membris ablata profugit,  
ut nullas parteis in corpore liquerit ex se,

unde cadavere rancenti iam uiuere uermes  
expirant? atque unde animatum copia tanta  
exos & exanguis tumidos perfluctuat artus?  
**Quod si** forte animas extrinsecus insinuari  
uermibus, & priuas si corpore posse uenire  
credis, nec reputas cur millia multa animarum  
conueniant, unde una recesserit, hoc tamen est, ut  
querendum uideatur, & in discrimen agendum,  
utrum tandem animæ uenentur semina quæque  
uermiculorum, ipse que sibi fabricentur ubi sint,  
an' quasi corporibus perfectis insinuentur.  
At neque, cur faciant ipsæ, quare ue laborent  
dicere suppeditant, neque enim sine corpore cum sunt  
sollicitæ euolitant morbis, algo' que, fame' que.  
Corpus enim magis his uitiis, & fine laborat,  
& mala multa animus contagia fungitur eius.  
**Sed** tamen his esto quamvis facere utile corpus  
cum subeant, at qua possint uia nulla uidetur.  
**Haud** igitur faciunt animæ sibi corpora & artus,  
nec tamen est, ut qui cum perfectis insinuentur  
corporibus, neque enim poterunt subtiliter esse  
connexæ, neque consensu contagia fient.  
Denique cur acris uiolentia triste leonum  
seminium sequitur, uulpes dolus, & fuga ceruis  
a patribus datur, & patrius pauor incitat artus,  
& iam cætera de genere hoc cur omnia niembris  
ex ineunte ævo generascunt, ingenio' que,  
si non certa suo quia semine, seminio' que  
uis animi pariter crescit cum corpore quoque.  
**Quod si** immortalis foret, & mutare soleret  
corpora, permisisti animantes moribus essent.  
Effugerer canis hircano de semine sæpe  
cornigeri incursum cerui, tremeret' que per auras  
aeris accipiter fugiens ueniente columba,  
desiperent homines, saperent fera secla ferarum.  
Illud enim falsa fertur ratione, quod aiunt  
Immortalem animam mutato corpore flecti,



quod mutatur enim, dissoluitur, interit ergo.  
traiciuntur enim partes, atque ordine migrant,  
quare dissolui quoque debent posse per artus,  
denique ut intereant una cum corpore cunctæ.  
Sin animas hominum dicent in corpora semper  
ire humana, tamen quæres cur e sapienti  
stulta queat fieri, nec prudens sit puer ullus?  
Nec tam doctus equæ pullus, quam doctus equus sit?  
si non certa suo quia semine, seminio' que  
uis animi pariter ctefcit cum corpore quoque?  
Scilicet in tenero tenerascere corpore mentem  
confingent, quod si iam sit, fateare necessest,  
mortalem esse animam, quoniam natura per artus  
tantopere amittit uitam, sensum' que priorem.  
Quóue modo poterit pariter cum corpore quoque  
confirmata cupitum ætatis tangere florem  
uis animi? nisi erit consors in origine prima?  
Quid ue foras sibi uult membris exire senectus?  
An metuit conclusa manere in corpore putri?  
An domus ætatis spatio ne fessa uetus  
obruat? at non sunt iam immortali ulla pericla.  
Denique connubia ad ueneris, partus' que ferarunt  
esse animas præsto, diridiculum esse uidetur,  
et spectare immortaleis mortalia membra,  
in numero numero certare' que eas properanter  
inter se quæ prima, potissima' que insinuetur.  
Si non forte ita sunt animarum foedera pacta,  
ut quæ prima uolans aduenerit, insinuetur  
prima, neque inter se contendant uiribus hilum.  
Denique in æthere non arbor, non æquore in alto  
nubes esse queunt, nec pisces uiuere in aquis,  
nec crux in lignis, nec saxis succus inesse.  
Certum, ac dispositum st̄ ubi quicquam crescat & insit.  
sic animi natura nequit sine corpore oriri  
sola, neque a ueruis & sanguine longius esse.  
Hoc si posset enim multo prius ipsa animi uis,  
in capite, aut humeris aut imis calcibus esse  
posset

posset & innasci quauis in parte soleret,  
tandem in eodem homine, atq; in eodem uase manere,  
quod quoniam nostro quoque constat corpore, certū,  
dispositum que uidetur, ubi esse, & crescere possit,  
seorsum anima atque animus tanto magis inficiandū  
totum posse extra corpus durare, geni' que.  
Quare corpus ubi interiit, periisse necessest  
confiteare animam distractam in corpore toto.  
Quippe & enim mortalem æterno iungere, & una  
consentire, putare, & fungi mutua posse,  
dispereret, quid enim diuersius esse putandumst,  
aut magis inter se disiunctum, discrepitans que?  
quam mortale quod est immortali, atque perenni  
iunctum, in concilio saluas tolerare procellas?  
Præterea quæcunque manent æterna, necessest  
aut, quia sunt solido cum corpore, respuere ictus,  
nec penetrare pati sibi quicquam, quod queat artus  
dissociare intus partus, & materiei,  
corpora sunt, quorum naturam ostendimus ante,  
aut ideo durare ætatem posse per omnem,  
plagarum quia sunt expertia, sicut inanest,  
quod manet intactum, neque ab ictu fugitur hilum,  
aut ideo, quia nulla loci sit copia circum,  
quo quasi res possint discedere, dissoluui' que,  
sicuti summarum summa est æterna, neque extra  
quis locus est, quo diffugiant, neq; corpora sunt, quæ  
possint incidere, & ualida dissoluere plaga.  
At neque (uti docui) solido cum corpore mentis  
naturaſt, quoniamſt admixtum rebus inane.  
Re tamen est ut inane, neque autem corpora desunt  
ex infinito, quæ possint forte coorta  
corruere hanc mentis uiolento turbine molem,  
aut aliam quamuis cladem importare pericli,  
nec porro natura loci, spacium que profundi  
deficit, expergi quo possit uis animai,  
aut alia quauis possit ui pulsata teneri,  
h aud igitur leti præclusast ianua menti.

f iii



quod si forte ideo magis immortalis habenda sit,  
quod uitalibus ab rebus munita tenetur  
scilicet a uera longe ratione remotum sit,  
aut quia non ueniunt omnino plena salutis,  
aut quia quae ueniunt aliqua ratione recedunt  
pulsa prius, quam qui noceant sentire queamus.  
Præter enim quam quod morbis cum corpus egrotat,  
aduenit id quod eam de rebus sæpe futuris  
macerat inque metu male habet, curis que fatigat,  
Præteritis que admissa malis peccata remordent.  
Adde furorem animi proprium, atque obliuia rerum,  
adde quod in nigras lethargi mergitur undas.  
Nil igitur mors est, ad nos neque pertinet hilum,  
quandoquidem natura animi mortalis habetur,  
& uelut anteacto nil tempore sensimus ægri,  
ad confligendum uenientibus undique poenis,  
omnia cum belli trepido concussa tumultu  
horrida cōtremuere sub altis ætheris auris,  
in dubio que fuere utrorum ad regna cadendum  
omnibus humanis esset, terra que, mari que,  
sic ubi non erimus cum corporis, atque animai  
dissidium fuerit quibus hæsimus uniter apti.  
Nec si materiam nostram conlegerit ætas,  
scilicet haud nobis quicquam cum non erimus, tum  
accidere omnino poterit, sensum que mouere,  
non si terra mari miscebitur, & mare cælo.  
Et si iam nostro sentit de corpore postquam  
distracta est animi natura, animæ que potestas,  
nil tamen est ad nos, qui comptu, coniugio que  
corporis, atque animæ consistimus uniter apti,  
nec si materiam nostram conlegerit ætas  
post obitum, rursum que redegerit, ut sita nunc est,  
atque ita cum nobis fuerint data lumina uitæ,  
pertineat quicquam tamen ad nos id quoque factum  
interrupta semel cum sit retinentia nobis,  
& nunc nil ad nos de nobis attinet, ante  
qui fuimus, nec iam de illis nos afficit angor,  
quos de materia nostra noua proferet ætas

nam cum respicias immensi temporis omne  
præteritum spatum , tum motus materiai  
multimodi quam sint, facile hoc adcredere possis,  
semina saepe in eodem, ut nunc sunt ordine posta ,  
nec memori tamen id quimus reprehendere mente,  
inter enim iectast uitai pausa, uagæ que  
deerrarunt passim motus ab sensibus omnes.  
Debet enim miser & qui st forte, ægre que futurus  
ipse quoque esse in eo cum tempore , cui male possit  
accidere, id quoniam mors eximit esse perinde  
illum cui possint incommoda conciliari  
hæc eadem , quibus & nunc nos sumus, ante fuisse.  
Scire licet nobis nil esse in morte timendum,  
nec miserum fieri, qui non est , posse neque hilum  
differre, an nullo fuerit iam tempore natus ,  
mortalem uitam mors cum immortalis ademit.  
Proinde ubi se uideas hominem indignariet ipsum  
post mortem fore, ut, aut putescat corpore posto ,  
aut flammis inter fiat, malis ue ferarum ,  
scire licet non sincerum sonere, atque subesse  
cæcum aliquem cordi stimulum, quamuis neget ipse  
credere se quenquam sibi sensum in morte futurum.  
Non(ut opinor) enim dat quod promittit, & inde  
nec radicitus euita se tollit & icit,  
sed facit esse sui quiddam super ipsius ipse.  
Vnus enim sibi cum proponit quisque futurum  
corpus uti uolucres lacerent in morte, feræ' que,  
ipse sui miseret, neque enim se diuidit hilum ,  
nec remouet satis a projecto corpore, & hilum  
se fingit, sensu' que suo contaminat adstans,  
hinc indignatur se mortalem esse creatum ,  
nec uidet in uera nullum fore morte alium se ,  
qui possit uiuus sibi se lugere peremptum ,  
stans' que iacentem se lacerari, uru' ue dolore .  
Nam si in morte malumst malis, morsu' que ferarum  
tractari, non inuenio qui non sit acerbum  
ignibus impositum calidis torrescere flammis,



aut in mole situm suffocari, atque rigere  
frigore cum summo gelidi cubat æquore saxi.  
Vrgeri' ue superne obtritum pondere terræ.  
At iam non domus accipiet te læta, neque uxor  
optima, nec dulces occurrent oscula nati  
præripere, & tacita pectus dulcedine tangent.  
non poteris fatis florentibus esse, tuis' que  
præsidium, miser o miser aiunt, omnia ademit  
una dies infesta tibi tot præmia uitæ.  
Illud in his rebus non addunt, nec tibi earum,  
iam desiderium rerum super insidet una.  
Quod bone si uideant animo, dictis' que sequantur,  
dissoluant animi magno se angore, metu' que.  
Tu quidem ut es leto sopitus, sic eris, æui  
quod superest, cunctis priuatus doloribus ægris,  
At nos horrifico cinefactum te prope busto  
insatiabiliter deflebimus, æternum' que,  
nulla dies nobis mœrorem e pectore demet.  
Illud ob hoc igitur quærendumst, quid sit amari,  
tantopere ad somnum si res redit, atque quietem,  
cū quisquam æterno possit tabescere luctu,  
hæc etiam faciunt, ubi discubuere, tenent' que  
pocula sæpe homines, & in umbrant ora coronis,  
ex animo, ut dicant, breuis hic est fructus homullis,  
iam fuerit, neque post unquam reuocare licebit.  
tanquam in morte mali cum primis hoc sit eorum,  
quod sitis exurat miseros atque arida torrat,  
aut aliæ cuius desiderium insideat rei.  
Nec sibi enim quisquam tum se uitam' que requiret,  
cum pariter mens & corpus soplita quiescunt.  
Nam licet æternum per nos sic esse soporem,  
nec desiderium nostri nos attigit ullum,  
et tamen haud quaquam nostros tunc illa per artus  
longe ab sensiferis primordia motibus errant,  
cum corruptus homo ex somno se colligit ipse.  
Multo igitur mortem minus ad nos esse putandumst,  
si minus esse potest, quam quod nihil esse uidemus.  
Maior enim turbæ disiectus materiai.

consequitur letō. Nec quisquam expergitus extat,  
frigida quem semel est uitai pauſa ſequuta.  
Denique ſi uocem rerum natura repente  
mittat, & hoc alicui noſtrum ſic increpet ipſa,  
Quid tibi tantopere eſt mortalis, quod nimis ægris  
luctibus indulges? quid mortem congeſta, & fles?  
nam grata fluxit tibi uita anteacta, prior' que,  
& non omnia pertuſum congeſta quaſi in uas  
commoda perfluxere, atque ingrata interiere.  
Cur non ut plenus uitæ conuiua recedis?  
æquo animo' que capis ſecuram ſulte quietem?  
Sin ea quæ functus cunctus es, periore profusa,  
uita' que in offensofit, cur amplius addere quæris?  
rurſum quod pereat male? & iugratum accidat omne?  
nunc potius uitæ finenſi facis, atque laboris.  
Nam, tibi præterea quod machiner, iueniam' que, eſt,  
quod placeat, nihil eſt, eadem ſunt omnia ſemper.  
Si tibi non annis corpus iam marceret, & artus  
confecti languent, eadem tamen omnia reſtant,  
omnia ſi perges uiuendo uiincere fecla,  
atque etiam potius ſi nunquam ſis moriturus.  
Quid respondemus ſi iuſtam intendere litem  
natura, & ueram uerbis exponere cauſam,  
at, qui obitum lamentetur miser amplius æquo,  
num merito inclamet magis & uoce increpet acri?  
aufer ab hinc lacrymas barde, & compesce querelas,  
grandior hic uero ſi iam, ſenior' que queratur  
omnia perfunctus uitai præmia marces.  
Sed quia ſemper aues, quod abeſt, præſentia temniſis,  
imperfecta tibi elapsaſt, ingrata' que uita,  
& nec opinati niors ad caput aſtitit, ante  
quam ſatur, ac plenus poſſis diſcedere rerum.  
Nunc aliena tua tamētate omnia mitte  
æquo animo' que age dum iam aliis cōcede, neceſſeſt  
iure (ut opinor) agat, iure increpet, incile' que.  
Cedit enim rerum nouitate extruſa uetustas  
ſemper, & ex aliis aliud reparare neceſſeſt.  
Nec quisquam in barathrum, nec tartara deditur atra,



materies opus est , ut crescant postera secula.  
quæ tamen omnia te uita perfuncta sequentur.  
nec minus ergo ante hæc, quæ tum cecidere, cadet que.  
Sic alid ex alio nunquam desistet oriri.  
Vita'que mancipio nulli datur omnibus usu.  
respice item quam nil ad nos anteacta uetusfas  
temporis æterni fuerit, quam nascimur ante.  
Hoc igitur speculum nobis natura futuri  
temporis exponit. Post mortem denique nostram  
num quid ibi horribile appetet? num triste uidetur  
quicquam? non' ne omni somno securius extat?  
At qui animarum etiam quæcūque Acheronte profundo  
prodita sunt esse, in uita sunt omnia nobis.  
Nec miser impendens magnum timet aere saxum  
Tantalus, ut famast, cassa formidine torpens,  
sed magis in uita diuum metus urget inanis  
mortaleis, casum' que timent, quem cuique ferat fors.  
Nec Tityon uolucres ineunt acherunte iacentem,  
nec, qui sub magno scrutentur pectore quicquam,  
perpetuam ætatem possent reperire profecto,  
quamlibet immani projectu corporis extet,  
qui non sola nouem dispersis iugera membris  
obtineat, sed qui terrai totius orbem,  
non tamen æternum poterit perferre dolorem,  
nec præbere cibum proprio de corpore semper.  
Sed Tityus nobis hic est in amore iacentem  
quem uolucres lacerant, atque exest anxius angor,  
Aut alia quavis scindunt torpedine curæ.  
Sisyphus in uita quoque nobis ante oculos est,  
qui petere a populo fasces, fæuas'que secures  
imbibit, & semper uictus, tristis'que recedit.  
Nam petere imperium, quod inane est, nec datur nnq,  
atque in eo semper durum sufferre laborei,  
hoc est aduerso nixantem trudere monte  
saxum, quod tamen e summo iam uertice rursum  
uoluitur, & plani raptim petit æquora campi,  
deinde animi ingratam naturam pascere semper,  
atque



atque explere bonis rebus, satiate' que nunquam,  
quod faciunt nobis annorum tempora, circum  
cum redeunt, fœtus' que ferunt, uarios' que lepores.  
Nec tamen exemplur uitai fructibus unquam.  
Hoc(ut opinor) id est æuo florente puellas  
quod memorant, laticem pertusum congerere in uas,  
quod tamen expleri nulla ratione potestur.  
Cerberus & furiæ, jam uero & lucis egenus  
tartarus horriferos eructans faucibus æstus,  
qui neque sunt usquam, nec possunt esse profecto.  
Sed metus in uita poenarum pro malefactis  
est insignibus insignis, sceleris' que numela,  
carcer, & horribilis de saxo iactus eorum,  
uerbera, carnifices, robur, pix, lamina, tædæ,  
quæ tamen & si absunt, at mens sibi conscientia facti  
præmetuens, adhibet stimulos, torret que flagellis,  
nec uidet interea qui terminus esse malorum  
possit, nec qui sit poenarum denique finis,  
atque eadem metuit magis hæc ne in morte grauescat  
hic acherusia fit stultorum denique uita.  
Hoc etiam tibi tute interdum dicere possis.  
Lumina sic oculis etiam bonus Aeneas reliquit,  
qui melior multis, quam tu, fuit improbe rebus.  
Inde alii multi reges, rerum' que potentes  
occiderunt, magnis qui gentibus imperitarunt.  
Ille quoque ipse, uiam qui quondam per mare magnū  
strauit, iterque dedit legionibus ire per altum,  
ac pedibus salsa docuit superare lacunas  
& contempsit equis insultans murmura ponti,  
lumine adempto animam moribundo corpore fudit.  
Scipiades bellum fulmen, Carthaginis horror,  
ossa dedit terræ, pro inde ac famul improbus esset.  
Adde repertores doctrinarum, atque leporum.  
Adde Heliconiadum conites, quorum unus Homer,  
sceptra potitus, eadem aliis sopitus quietest.  
Denique Democritum postquam matura uetus  
admonuit memores motus languescere mentis,



sponte sua leto caput obuius obtulit ipse.  
Ipse Epicurus, obiit decurso lumine uitæ,  
qui genus humanum ingenio superauit, & omnes  
restrinxit stellas, exortus uti aerius Sol.  
Tu uero dubitabis, & indignabere obire?  
mortua cui uitast prope iam uiuo, atque uidenti?  
qui somno partem maiorem conteris æui,  
& uigilans stertis, nec somnia cernere cessas,  
sollicitam que geris cassa formidine mentem.  
nec reperire potes, quid sit tibi saepe mali, cum  
ebrius urgeris multis miser undique curis,  
atque animo incerto fluitans errore uagaris.  
Si possent homines proinde ac sentire, uidere  
pondus inesse animo, quod se grauitate fatiget,  
& quibus id fiat causis cognoscere, & unde  
tanta mali tanquam moles in pectore constet,  
haud ita uitam agerent, ut nunc plerunque uidemus,  
quid sibi quisque uelit nescire, & querere semper  
commutare locum, quasi onus deponere possit.  
Exiit saepe foras magnis ex ædibus ille,  
esse domi quem pertesumst, subito' que reuertit,  
quippe foris nihilo melius qui sentiat esse.  
Currit agens mannos ad uillam præcipitanter  
auxilium tectis quasi ferre ardentibus instans,  
oscitat extemplo tetigit cum limina uillæ,  
aut abit in somnum grauis, atque obliuia quærerit,  
aut etiam properans urbem petit, atque reuisit.  
Hoc se quisque modo fugit, at quod scilicet ut sit,  
effugere haud potis est, inuitus adhæret & odit.  
propterea morbi quia causam non tenet æger,  
quam bone si uideat, iam rebus quisque relictis  
naturam primum studeat cognoscere rerum,  
temporis æterni quoniam uelut unius horæ  
ambigitur status, in quo sit mortalibus omnis  
ætas post mortem, quæ restat cunque manendo.  
Denique tantopere in dubiis trepidare periclis  
quæ mala nos subigit uitai tanta cupido?

Certa



Certa quidem finis uitæ mortalibus adstat,  
nec deuitari letum potest quin obeamus.  
Præterea uersamur ibidem atque insumus usque.  
Nec noua uiuendo procuditur ulla uoluptas.  
Sed dum abest, quod auemus, id exuperare uidetur  
cætera, post aliud, cum contigit illud, auemus,  
& sitis æqua tenet uitai semper hianteis.  
Postea que in dubiost fortunā quam uehat ætas,  
quid uē ferat nobis casus, quiue exitus instet.  
Nec prorsum uitam ducendo, demimus hilum  
tempore de mortis, nec delibrare ualemus,  
quid minus esse diu possimus sorte perempti.  
Proinde licet quot uis uiuendo condere secla,  
mors æterna tamen nihilo minus illa manebit,  
nec minus ille diu iam non erit ex hodierno  
lumine, qui finem uitai fecit, & ille  
mensibus atque annis qui multis occidit ante.

.T.L.C.DE RERVM NATVRA,  
LIBER QVARTVS.

**A** VI Apieridum peragro loca, nulli  
us ante  
trita solo, iuuat integræ gros accedere re  
fonteis,  
atque haurire, iuuat' que nouos de  
cerpere flores,  
insignem' quem eo capiti petere in  
de coronam,  
unde prius nulli uelarint tempora Musæ.  
Primum quod magnis doceo de rebus, & arctis  
relligionum animum nodis exoluere pergo,  
deinde quod obscura de re tam lucida pando  
carmina, musæo contingens cuncta lepore,  
id quoque enim non ab nulla ratione uidetur.  
Nam ueluti pueris absynthia tetra medentes

